QVAESTIO MEDICA
CARDINALITIIS DISPVTATIONIBVS MANE DISCVTIENDA IN SCHOLIS MEDICORVM
DIE IOVIS VII. MARTII,
M. CLAVDIO LIENARD Doctore Medico, Moderatore.

An Panis repletio omnium pessima. 754

QVOD in animantium corporibus perenne fieri solet substantiæ viuentis effluuium, diuinitus quasi reparat prouida rerum parens ac conseruatrix nutriens facultas, à generante & augente non distincta, quæ suis quatuor non pluribus vsa ministris, humani corporis œconomiæ diligenter prospicit, dum in ea quod deest studiosè allicit, quod prodest sapienter seruat, quod obest sedulò amouet: denique dum cibo, potu, & spiritu, varijs subinde factis alterationibus, iacturam effluxus conuenienter instaurat & resarcit. Cibi minor necessitas, potus maior, spiritus maxima, quæ tamen corpori contingit affectio à spiritu leuior, à potu grauior, à cibo grauissima. Potus, quo facilius est impleri quam cibo, liquor est omnis sedandæ siti destinatus: Cibi amplissima seges, non ex elementis, metallis, odoribus, sed ex plantis & animalibus depromenda: atque vt ab his conueniens qualitate & substantia conseruandis corporibus alimentum elicitur, sic iisdem destruendis totius substantiæ dissidio infensum emanat venenum.

INTER alimenta, communissimũ, saluberrimũ, panis: cuius vt variæ sunt species ex materia & præparatione desumptæ, sic non vna eademque est omnium vtilitas: præstat reliquis ex laudatissimo confectus tritico, quale est durum, densum, graue, colore aureum, trium mensium maturum, ex cuius farinæ flore paratur siligineus panis omnium candidissimus, sed concoctu difficilis: ex puriore post florem parte similaceus saluberrimus: ex farina denique confusanea αὐτόπυρος omnium minimè nutriens: inter hos qui legitimam fermenti quantitatem recipiunt & probè subiguntur omnium optimi, qui fermento carent nocui, quale est placentarum omne genus. Panis præstantiam maximè commendat coctionis modus: qui in clibano vel furno igne moderato coquitur εὔοπτος, laudabilis: qui super craticula, cineribus calidis, aut foci pauimento assatur deterior, vt & subcinericius: qui biscoctus est minus nutrit, succumque gignit subtiliorem: recens calidus nociuus, vetus aluum adstringit, & humoris melancholici prouentum facit: mediocris magnitudinis & spongiosus, paruo solido magnoque præponendus.

PANIS nutrimentum simplicissimum, adeóque naturæ nostræ familiare & amicum, vt nulli vnquam eo benè vtenti fastidio fuerit, sed abutenti mortem etiam repentinam interdũ attulerit. Qui crescunt pueri iuuenibus calidiores, senibus humidiores & minùs morbosi, maiorẽ panis copiã perferunt, tum iuuenes, ab his senes numquã melancholici, facillimè ieiuniũ corpori & animo proficuum ferentes, quibus sale condîtus panis cõcedendus. Ventri hyeme & vere calidiori, quàm æstate & autumno frigidiori, viris quàm mulieribus, gracilibus quàm obesis, corpus exercenti quàm otio torpescenti, in cæna quàm in prandio, cum alimentis parum nutrientibus, vt fructibus, herbis, & piscibus, quam cum πολυτρόφοις carnibus, copiosior panis conuenit.

VICTVS ratio in sanis & ægris chirurgiæ & pharmaciæ præferenda, quâ solâ sani à morbis præseruantur, & ægri ab iisdem non rarò liberantur. Tenuiori & exquisitæ liberalior semper anteponenda, ab hac leue est peccatum, ab illa graue, ab hac frequentiùs fiunt morbi, ab illa curatu difficiliores. Valeant Hebræorum sacerdotes Essæi non nisi septima quaque die edere soliti, prudentiùs illi qui pluries cibum in die vsurpant, quibus tamen semel, bis, terve, & quibus plura ne, an pauciora particulatim oporteat offerre considerandum. Cibus sicut sano robur, ita ægro morbus: in acutis tenuis, in peracutis tenuior, in perperacutis tenuissimus, vel nullus conuenit victus, in longis copiosior prodest: an panis ægris offerendus? eius certè medulla in aqua macerata febricitantibus exhibenda, quibus vniuersim victus humidus & refrigerans confert, maximè pueris. Acutorum initio numquam purgandum tenuique diæta vtendum, in vigore tenuissima præsertim iuuenibus, in declinatione pleniore, senibus, non plenissima.

OMNE nimium naturæ inimicum, Somnus, à quo coctiones omnes iuuantur & perficiuntur, & vigilia, non minora quam somnus præstans corpori commoda, vtraque si modum excesserint, malum: nec satietas nec fames, quæ cum adest nulli parcendum labori, nulli incumbendum labori, nec aliud quicquam bonum est ὅτι αὖ μᾶλλον τῆς φύσιος ᾖ: sic ventriculi repletio, quam optimè ingurgitationem dixeris, à quocumque tandem cibo fiat, vel vnico, vel multiplici, etiam εὐπέπτῳ ipsi naturæ grauis & molesta non potest non esse, quippe quæ natiuũ partis calorem obruat, hinc primæ coctionis priuatio, cuius errorẽ nec secunda nec tertia emendat, hinc vel nullus somnus, vel turbulentus, corporis in omnem partem iactatio, venarum mesaraicarum (quæ vt traducendo chylo ita & reducendo sanguini à natura sunt dicatæ) & hepatis infarctus propediem certò sunt expectandi. Quid si à panis copia? hæc eadem, aliaque longè peiora imminent, firmam etenim & stabilem adeò in aluo facit stationem incoctus chylus à panis multitudine, vt eius nulla facta distributione distentio ventris periculosa sequatur, grauitatis & diuulsionis dolor quammaximus persentiatur, crebra & difficilis spiratio oboriatur, vox penè intercipiatur, partium extremarum frigus, circa frontem, collum, & pectus, sudatiunculæ contingant, genis labiisque liuescens color inducatur, nihilque iuuantibus iterata venæ sectione ex superioribus & inferioribus, clysmatis, cucurbitulis, aut emeticis, tandem intra paucas horas fatis sit cedendum.

Ergo panis repletio omnium pessima. 200.

Proponebat Lutetiæ ANSELMVS BICQVET Parisinus. Anno R. S. M. DC. XXX.